DE VULNERIBUS EX MORSU HOMINIS IRATI DISSERTATIO QUAM IN...

Luigi Fanzago



DE VULNERIBUS EX MORSU HOMINIS IRATI

DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM

IN ANTIQUISSIMO ET CELEBERRIMO

C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD

LAUREAM MEDICAM

OBTINENDAM

PUBLICE PROPONIT

ALOYSIUS FANZAGO

PATAVINUS



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXV.

FRANCISCO · ALOYSIO · FANZAGO

PARENTI · OPTIMO

BENEMERENTISSIMO

PRIMVM · HOC

STVDIORVM · MEDICORVM · SPECIMEN

DICAT

FILIVS · OBSEQVENTISSIMVS

Effrenis amor, vehemens ulciscendi cupido, et quicumque praepotens animi affectus insueta homini arma ministrant quae ipsamet bruta etiamsi concitata non semper in auxilium vocant. Inter haec arma morsus est, quem ab animalibus quibusdam illatum tristissima phaenomena et persaepe mors ipsa consequitur. At mordet quoque amantem amans, et morsu iratus inermisque homo hostem laedit suum; quamvis vero hydrophobi morsum in praesens considerare nolim, laesiones tamen illae silentio non sunt praetermittendae earumque gravissimi effectus, cum sub ira a dentibus inferuntur. » Morsus qui ab homine irato infligitur, Scurigius ait (1), ille sane non semper periculo vacat, sed praeter symptomata pessima interdum ipsam mortem producit ». Quod cum ipse ab amatissimo colendissimoque Patre meo observatum fuisse scirem, subiit cogitatio ab illis historiis aptam exinde mate-

(1) Scialogia historico-medica cap. V.

riem ad dissertatiunculam meam concinnandam depromere; ita tamen ut primo observationes a Patre meo in Nosocomio nostro jampridem suis curis commisso institutas, pluresque alias hic illic narratas referens omnem malorum a morsu hominis irati enatorum patefacerem seriem, multiplices deinde tot exitiorum causas inquirerem; de opportuniori istiusmodi morborum curatione vulnerumque renunciatione ad medici tum privati tum publici normam extremo loco dicturus.

Primis itaque tentaminibus meis faveat singularis illa humanitas, qua me, Praeceptores clarissimi, excepistis, totoque studiorum meorum curriculo prosecuti estis, et ob quam aeque ac ob haustas ab ore vestro reconditas doctrinas me vobis devictum deditumque semper esse velle publice profiteor.

Rerum medicarum pervolventibus historias innumera fere occurrunt exempla malorum a causa de qua agimus originem repetentium suam: Celsus primum (lib. V cap. 27) hominis morsum inter vulnerum causas memorat, additque cum Sereno Sammonico a morsu atrum simul inferri virus. Nonnullas tamen observationes accuratius descriptas e multis lubet seligere quae variam morborum inde exortorum naturam, variumque periculi ac damni eos comitantis gradum demonstrant.

I. Primis anni millesimi octingentesimi vigesimi sexti diebus miles quidam nomine Patritius Canton rebus aerarii custodiendis dicatus cum socio suo ita rixari coepit eumque verbis factisque contumeliose lacessere, ut uxor hujus cum ad conjugem defendendum se contulerit, ejus hosti pollicem manus dexterae mordere potuerit. Canton tali pacto laesus nescio utrum rixae occultandae, an nullius incommodi supervenientis gratia curam omnem chirurgicam neglexit, et quarta tantummodo a morsu die cum acutis admodum doloribus aliisque localibus symptomatibus in vulnerato digito vexaretur, a praestanti chirurgo Cajetano Malacarne petiit auxilium. Omnia Chirurgus adhibuit quae ad rapidos inflammationis progressus compescendos ejusque tristissimos exitus avertendos valere possent. Frustra tamen cesserunt omnia, ideoque post viginti circiter a suscepta curatione dies aeger a Chirurgo suasus Patavinum ingreditur Nosocomium, ibique die trigesima Januarii in Scholam Clinicam defertur. Clarissimus professor Ruggieri molles omnes pollicis partes inflammatione phlegmonosa in gangraenam vergente obsessas invenit, viditque primam digiti illius phalangem et pro parte etiam secundam carie confectas. Opus hinc fuit inflammationis ac gangraenae processum circumscribere, et pri-

mum digiti laesi articulum ferro, partemque mortuam secundi articuli igne candente segregare. Quae vero morbi pertinaciae statuique aegri occurrebat curationis methodus duobus solummodo et ultra mensibus absolvebatur, adeo ut vix duodecima Aprilis die perfecta Cantonii sanatio a celeberrimo Professore annunciari potuerit. Hoc pacto evenit ut morbus per quatuor fere menses duraverit, et magnae laesi pollicis partis post se traxerit jacturam.

II. Morbum gravioribus symptomatibus comitatum cum exitu fere simillimo perpessus est aeger alter calceolarius, qui eodem anno 1826 die decima quarta mensis Augusti ad patavinum Nosocomium pariter confugit, manumque sinistram phlegmone erysipelaceo obsessam cum digiti indicis gangraena initio statim obtulit. Tanti mali causa, juxta ejus relata, morsus fuerat, quem ipsius digito indici sinistro ab octo circiter diebus miles quidam invalidus sub rixa defixerat. Ubi primum expertus Nosocomii Chirurgus calceolarium nostrum vidit, gangraena tertium digiti indicis articulum occupabat, et in tumido, rubro ac dolenti manus dorso nonnulla huc illuc occurrebant suppurationis signa. Ultra tamen pergebat inflammatio, vehemens erat febris, aderant levia gastricae adfectionis signa. Adscribebantur illico ad invicem balnea tepidula et ca-

taplasmata emollientia ad cubitum manumque sinistram, diaeta strictior et mitiora purgantia praescribebantur. Tertia ac quarta curationis die cum puris collectio manifestior fieret in illo praesertim dorsi manus spatio, quod inter indicem et pollicem manet, instituebatur incisio, unde magna puris colorem obscurum et gangraenae odorem praeseferentis copia fluere coepit. Neque idcirco inflammationis processus siluit; quin imo inter quintum septimumque diem, adaucta febri, delirium in scenam prodiens, irritatio pulsuum, tendinum subsultus, lingua nigra ac tremula phlogosim ad cubitum totum extensam esse portenderunt. Ea autem hujus erat natura, ut ad suppurationem illico tenderet; cui idcirco cataplasmatibus favere necesse fuit, donec parvis incisionibus in carpo et in inferiori tertia cubiti parte institutis multa puris, minus tamen obscuri foetidique, quantitas exiit. Exinde febris aliaque symptomata in dies magis magisque imminuta; talique pacto rebus per duas fere hebdomadas procedentibus factum est, ut gangraena ad tertiam usque indicis phalangem extensa spontaneam digiti sejunctionem proximam esse ostenderet. Tunc itaque primum febre mitiori facta, et qualitate puris meliori reddita, spes aliqua effulsit sanationis; ad quam citius obtinendam cum natura optatam mortuae partis sejun-

ctionem per longius quam par erat temporis spatium absolvere conaretur, eam cultro peragere providum Chirurgi consilium, facillimumque opus fuit. Omnia postea in melius semper cessere, et quadraginta circiter ab ingressu aegri in Nosocomio, quinquaginta vero a morsu diebus curatio omnis ad finem perducta. Attamen hoc etiam in homine morbus per duos fere menses perstitit, et nonnisi amisso sinistrae manus indice, mitigari coepit.

III. Cum in phreneticis animus diutius quidem sed pariter ac in iratis hominibus commotus sit, referri primo loco potest quid de se ipso narrat Fabricius Hildanus (1). En ipsissima ejus verba: » Anno 1603 mense Aprilis, cum phreneticam quamdam mulierem tractandam haberem, et lingua an arida esset explorare vellem, illa digitum incauti et nimis curiosi medici dentibus arripuit, et adeo dentes digito impressit, ut sine violentia eum inde extrahere non potuerim. Hinc statim dolor vehemens non solum in ipso digito, sed per totum brachium exortus est. Applicatis tamen iis quae sequuntur, paulatim dolor sedatus est, et quinque vel sex dierum spatio digitus convaluit. Primo diligenter sangui-



(1) Vide in ejus oper. observat. 84 centuriae primae, ubi de morsu humano ejusque curatione disseritur.

nem ex morsibus, diversis enim in locis dentes infixerat, expressi, mox aceto acerrimo ablui tum morsus, tum etiam totum digitum. Postea theriacam dissolutam in aqua vitae cum gossipio morsibus imposui, ac emplastro basilico apicem digiti; totam vero manum linteo reduplicato ac in oxycrato madefacto involvi. Atque his remediis quotidie bis vel ter iteratis Dei beneficio convalui ».

IV. Res non ita se habuit alio in homine, quem ipse Fabricius Hildanus vidit talique pacto descripsit (1): »Anno 1604 sub canicula Esaias Rapin, Corsellis prope Paterniacum, a quodam viro furiosa ira percito ad primam articulationem pollicis graviter morsus fuit. Hinc statim exortus est dolor vehemens per totum brachium. Neglecto ab initio morsu, dolores et reliqua symptomata singulis momentis ingravescebant. Ego quarta die morbi accersitus, febricitantem ipsum comperi; syncope item aderant et dolor acutissimus. Pollex item usque ad carpum correptus erat phlegmone, quod postea in putridum et sinuosum ulcus degeneravit. Morsus lividi erant, ex quibus subtilis, acris et foetidissima materia effluebat. Doloris leniendi gratia brachium oleo rosaceo et lubricorum inunxi. Ad carpum de-



(1) Loc. cit. observat. 85.

fensivum morsibus, toti vero digito adplicui unguentum factum ex unguento basilico, ex butyro recenti, ex oleo amygdalarum dulcium et theriaca optima cum sufficienti quantitate vitelli ovi. Postero die electuario de succo rosarum ipsum purgavi. Postea basilicam brachii sani incidi, et vitae regimen praescripsi. His sedato dolore et probe digestis morsibus, ulceribus unguentum mundificativum imposui ex pulvere myrrhae, aloe, ex radicibus aristolochiae rotundae, iridis florentinae et angelicae cum theriaca optima dissoluta in aqua vitae et melle rosaceo. Tandem ulcera aliorum ulcerum more consolidavi, curamque Dei beneficio maximo cum labore resolvi ».

Graviora symptomata et digitum artumque laesum amittendi periculum perpessi sunt aegri duo, quorum Panarolus (1) et jam laudatus Hildanus meminit (2).

V. Vetula siquidem mulier, Panarolo testante, multas post injurias alteri mulieri manum momordit; in quo vulnere tanta fuit veneni vis, ut parum abfuerit, quin brachium totum cum maximo vitae periculo resecaretur.

VI. Hildanus autem sequentem dedit morbi

(1) Schurigius l. c.

(2) Loc. cit. observ. 84.

historiam. » Anno 1581 Gerardus Muchs, mercator in Langenberg, in Ducatu Montensi cum inter pocula cum alio quodam litem haberet eique colaphum impingere tentaret, dentibus haud leviter infixis apicem dextri indicis apprehendit. Unde quia non recte curatus, nec ulla vitae regiminis ratio habita est, exortus est dolor magnus, aliaque graviora symptomata. Cum vero de abscissione manus barbitonsores duo, quibus curandum se commiserat, inter se conferrent, is vocari jussit praestantissimum Cosmum Slotanum, apud quem tunc temporis praxim exercebam. Cum itaque pervenissemus ad aegrum, invenimus totam manum inflammatam et jam incipiente gangraena correptam: dolores quoque extremi, convulsiones, febris ardentissima, syncope et inquietudines maximae aderant, ita ut non solum de manu, verum etiam de vitâ periclitaretur. Scarificavimus itaque totam manum, et applicuimus quae gangraenae adversantur. Mox universalibus veluti clysmatibus, purgationibus, venae sectione, epithematibus cordi et hepati applicatis et vitae regimine frigido et humido humores et sanguinem ad manus cum impetu fluentes repulimus, detraximus, diminuimus, et partes principes ad temperiem vocavimus. Sic tandem aeger divino favore convaluit, ita ut non manum, imo nec digitum quidem morsum amiserit ».

Frequentiores laesionum historiae prostant, in quibus damnum per morsum illatum, malumve per subsequentem vitam perdurans excepit.

VII. Jam vero morsum ex iracundia maniam et insanabile vulnus rustico cuidam conciliasse retulit Johannes Dolaeus (1).

VIII. Tristissimos irae effectus inquirens Sommerus quoque scripsit quod » inter verba et verbera viri cujusdam pollicis anterior articulus dentibus adversarii ita impetebatur, ut quidquid Chirurgus mundando niteretur, incassum fieret, quia vulnus venenato salivae fermento infectum omnem consolidationem respuebat, donec pars infecta esset resecta » (2).

IX. Zacutus pariter Lusitanus hominem vidit, cui post jurgia et contentiones ab altero digitus index morsu violento intra dentes attritus ac abscissus est, et ita ulcus venenosum manum totam contaminavit et putredine infecit, ut solum ea recisa superstes remanserit (3).

X. Exemplum aliud legitur in novis actis naturae curiosorum (4) a L. G. Klein descriptum: » Miles desultorius Gallus robustus et sanus, an-

(1) Encyclop. med. lib. 1. cap. 4.

(2) Ephemerid. naturae curiosor. Dec. II. Ann. II.

(3) Zacuti Lusitani de praxi medica admiranda observ. LXXXIV. pag. 387.

(4) Vol. I. observ. XVII. pag. 86.

norum circiter triginta sex ad Moenum positus, malitiose turmam suam anno 1745 mense Julio deserit, equum simul auferens; tendit per Odenwaldiam nostram petiturus Helvetiam. Rusticus emit equum a milite pecunia parata, abit cum eo satis longe per silvas, ducem et comitem simulans fidelissimum, revera autem spoliandi, quin occidendi, animum habens et idcirco gladium portandum a Gallo desiderans et obtinens, ut hic commodius et celerius cursum suum perstringere, re ipsa autem armis privari possit. Ingruente nocte securum se reputat Odenwaldius ille rusticus, et quod intendit persequitur facinus, inopinato nempe et subito crinibus prehendit militem, in terram projicit, lapide tres cum media habente libras, anguloso, acuto caput variis in locis percutit; (erat enim die altera, licet noctu sat copiosa deciderit pluvia, in loco aggressionis copiosus adhuc, lapidibus adhaerens, conspiciendus sanguis, maxime vero lapidi dicto, cui et crines agglutinati erant); forte dein pede in genitalia impingit Galli, sicque occisum eumdem credit. Miles argutus emortuum se simulat, spiritum retinet, membra flaccida ac pendula libere a malitioso sicario agitari permittit, qui tandem pro acquirenda majori de morte hujus infelicis hominis certitudine summo cum fervore et venenoso quasi ore commordet manus

dexterae annularem digitum, qui itidem nec exinde aliquod vitalitatis signum prodit. Cuncta ergo sic ex voto peracta ratus pessimus iste nebulo, crumenas spoliat traditis ante paucis pro equo thaleris, tandemque miserum in fodinam ferri non admodum profundam praecipitat, domumque revertitur, mala conscientia jam comite. Cum sat remotum reputaret Gallus impiissimum incolam, vires colligit cunctas, exsurgit, amictu cruentato versus arcem in vicinia sitam migrat, sole mox exoriente. Enarrat facta. Committitur Chirurgi curae. Omnia bene cedunt donec die X digitum memoratum gangraena prehenderit. Amputat phalangem primam remanente tamen gangraena cum tumore totius brachii insigni plane, aestuque digitos tangentis urente. Vocor ego. Crebro imponendum suadeo vinosum specierum nervino-discutientium decoctum, aqua vivae calcis armatum, applicandum ordino unguentum ex illius nutriti digestivi officinalis ana sex drachmis, aegyptiaci, balsami peruviani ana drachma una. Sic decidit corrupta caro, osse nudato prominente illaeso, humorque plurimum cedit. Post aliquot dies cum denuo accederem, de manus urente conqueritur dolore; cum eadem in dorso digitis durius tangeretur, copiosum effluit pus per amputatum ex parte digitum. Mox intra hunc et auricularem digitum facien-

dam jubeo incisionem, quo manus ossa beneficio injectionum balsamicarum defendi et puris exitus liber servari possint. Refert postea Chirurgus faciei et capitis vulnera (erant autem in integumentis tantum) fere consolidata, manus etiam ossa adhuc a corruptione immunia esse, ex eadem vero exsudare ichorem copiosum, quà de causa ter de die deligatio fieri debeat; nulla ceterum gangraenae esse signa. Manus cum digitis notabiliter tumida est, nulla adparet inflammatio, dolor est tolerabilis. Propono pilulas laxantes cum mercurio dulci, quo affluxus imminuatur; praescribo apozema ex vulnerariis herbis et speciebus pro decocto lignorum, adjectis mannae electae unciis aliquot. Repudiat primo medicamina Gallus multoque suasus tandem pilulas deglutit, quae optatam exerunt operationem. Externe epithema ex spiritu vini rectificatissimo camphorato, mastichino atque aqua calcis vivae applicari jussi. Cum tandem decoctum liberaliter potaret, sicque alvus quotidie sollicitaretur, humores diluerentur et corrigerentur, pus fiebat coctum; hinc in dies Chirurgi accedente solertia cuncta feliciora. Phalanx annularis altera prominens separatur partim sponte, partim scalpello absciuditur; vulnus juxta hunc et auricularem incisum sanescere incipit; in manus palma suapte rumpitur cutis pure effuso bo-

no; sanescit brevi ulcusculum; mox in dorso manus suboritur aliud, consolidatur idem; et sic vagantia in dorso et circa digitum amputatum, carne rite rursus obtectum, varia parva et superficialia exsurgunt ulcuscula Chirurgi patientiam atque industriam desiderantia. Nullus in manu est dolor, nullus ardor, nulla inflammatio; motus manus ac digitorum legitimus est, miles bene ingerit et egerit, robustusque iterum evadit; mense Novembri a nobis decedit firma gaudens valetudine ».

Hic pariter numeranda quae, Hildano testante, ab jam laudato Scurigio narrantur (1).

XI. Rusticus quidam in conflictu ab adversario suo iracundia excandescente in secundo articulo medii digiti manus sinistrae morsus fuit: quod malum in dies ita augebatur, ut Chirurgus nullum aliud remedium nisi digiti a metacarpo separationem superesse bono rustico persuaderet. Erat enim manus, brachium, imo totum corpus propter doloris vehementiam extenuatum, digitus praeter modum tumefactus, imo in superficie juncturae exulceratus, et ligamenta ipsaeque cartilagines erosae, ossaque inter se disjuncta et separata.



(1) L. cit. Conser. quoque in Fabritii Hildani operibus Obs. 87. cent. IV. et lib. I. epist. 78.

XII. Alio in homine ex morsu digito inflicto inflammatio adeo vehemens oborta, ejusque tristissimi exitus gangraena sphacelusque adeo extensi, ut brachii ad cubitum usque abscissionem de vita servanda sollicitus Chirurgus instituere deberet.

XIII. XIV. Demum et de illa meretrice meminisse juvat, quae, ut refert Zacutus Lusitanus (1), ab alia consocia ita immaniter commorsa fuit, ut ulcus contractum cacoethicum diu feminam vexans, tandem nonnisi profusis sudoribus ex smilace aspera promotis evanuerit; nec non de illo rustico, qui juxta Riedlinum (2) ab affine proprio inter jurgia et rixas in labio inferiore morsu ita vulneratus est, ut perforato labio vulnus haud omnis periculi expers videretur.

XV. Hominum vitam ex eadem causa periclitantem vidit Johannes Bapt. Lanzwerde (3), qui a morsu post rixam et pugnos inflammationem, delirium, febrem, convulsionem et totius pedis gangraenam cum vitae periculo observavit insurgere. Neque plures desunt observationes in quibus mors ipsa subsequuta est. Ita



(1) Loco citato.

(2) Observ. medic. cent. III. observ. 9.

(3) Append. ad Joh. Sculteti. Armament. chirurg. observ. 96.

XVI. Supralaudatus Zacutus Lusitanus (1) de summa morsus hominis irati malignitate cum Paulo Aegineta, Celso, Plinio Galenoque sentiens narrat, exempli causa, duos bajulos cum inter se hostiliter rixarentur, horum unum ita morsu plus quam canino supra genu dilaniatum fuisse, ut miser commorsus, oborta in parte gangraena, et virulentia usque ad bubonem serpente quae nullis unquam auxiliis cohiberi potuit, vitam finiverit.

XVII. Servus cujusdam praetoris, teste Joh. a Maukren (2), a fure quodam quem apprehendere conabatur, ex morsu vulnus accepit in articulo pollicis dexteri cum ossis aliqua comminutione; dolor illico accessit intolerabilis, manum imo brachium ipsum occupans ad scapulas sese extendens; die sequenti aderat delirium sat grave, anxietas cordis et deliquium animi frequens. Medicus advocatus medicamentum exhibuit purgans, dieque subsequenti venae sectionem instituí curavit, quam paucarum horarum spatio cum anxietate gravissima mors excepit.

XVIII. Retulit Jo. Jac. Schuchzerus (3) „die 20 Junii 1729 h. 10 antimeridiana Franciscum



(1) Loco citato.

(2) Observ. med. chir. cap. 67. pag. 371.

(3) Acta natur. curios. vol. III. obs. XLVI. pag. 135.

Josephum Meyer, Lucernae capellanum momordisse Mariam Barbaram Rütimann, feminam valde obesam, ea quidem virulentia, quae brevi post lethalia induxit symptomata, imo lethum miserae intulit. Occasio fuit levis epistola, quam ille feminae ostendit, haec autem rapuit, ille tamen mox morsu lethali recuperavit. Hora prima pomeridiana vocatus Medicus offendit aegram corpore incurvo in lecto sedentem, querentem de terrore suscepto ex eo, quod viderit in conflictu Capellanum manu cultrum, ut sibi videbatur, e sacco quaerentem; de praefocationibus cordialibus sustentatam ab adstantibus, pallescentem facie et frigidam toto corpore absque pulsu; verbo pallidam in toto habitu mortem. Erat morsus inflictus brachio interiori, manum inter et cubiti flexuram, ruber, circulo tinctus livido. Apparuere vestigia dentium incisorum, tum superioris maxillae tum inferioris, quorum illi penetrabant cutem, sed non profunde, hi vix laeserant. Applicata mox tinctura scordii camphorata, propinatum infusum theiforme cum drachma dimidia Benzoar occidentalis; injunctus sudor qui secutus est, sed frigidus; secuti et conatus vomendi. Ordinata sub vesperam mixtura alexipharmaca castoreata spirituosa, venae sectio in pede et clysma; quae ultima tandem invalescente debilitate non fuere data effectui.

Primo mane sequenti ordinatum infusum rhabarbarinum pro scopo ventriculum a commota biliosa saburra liberandi, quod eventu haud caruit, et εὐφορίαν inducere videbatur: sed praevaluere continuas inter praefocationes summae debilitates quae versus meridiem hujus secundae diei miserae vitae miserum intulerunt finem. In demortua comparuit radix nasi sanguine suffusa, fusca; maxillae, collum, axillae, pectoris et dorsi pars violacea passim nigris conspersa maculis; per dorsum integrum et usque ad genua obtinuit idem color, sed pallidior. Effluebat ex naribus ichor serosus-sanguineus, circulus vulneris vix conspicui fuit flavus; comparuere vix vestigia dentium incisorum, quam dum erat in vivis. Brachium a flexura cubiti ad acromion usque fuit lividum. Reliqua corporis cutis fuit flava. Renuntiavit expertissimus in arte medica D. C. ex lethalibus symptomatibus, algore extremorum, sudore frigido, praefocationibus praecordiorum, anxia respiratione, pulsu debilissimo, generosiorum remediorum frustraneo usu, maculis lividis et atris quae superficiei cadaveris duas tertias partes facile occupabant; quod morti occasionem dederint, ira vehemens praegressa, motus extraordinarii obesi alias corporis, quos exerebat in conflictu cum adversario, forsan et ictus quos receperat; circumstantia temporis quo

fluxere menses; tandem quoque morsus ipse rabidi Capellani venenatus ».

Quas hactenus retuli morborum variique exitus eorum historiae clare aperteque demonstrant, morsum hominis irati non solum malum saltem grave et diuturnum exsuscitare saepissime cum phalangum digitorum ipsorumque artuum jactura, sed haud raro cum vitae periculo conjunctum, et aliquando etiam exitiosum constituere. Porro si haec omnia cum adparente laesionis a dentibus inductae tenuitate conferantur, multiplices esse causas patet a quibus gravitatem malignitatemque morbi repetere juvat.

Hasce itaque causas inquirentibus occurrit statim ab initio consideranda vulneris per morsum inflicti species. Istiusmodi laesio inter vulnera stricte dicta, sive solutiones continuitatis partium mollium cum sanguinis effusione conjunctas, post venenata omnium pessima est, quippe quae non in punctione a dentibus peracta solummodo consistit, verum etiam contusionem, lacerationem avulsionemque partium mordicus apprehensarum inducit. Hinc vulnus de quo agimus, ad pungentia, lacerantia, contundentia refertur, atque haec momenta summopere ad mali incrementum et diuturnitatem nec non ad curationis difficultatem conferre, nemo certe inficiabitur, qui concordes de hac re omnium Chirur-

gorum opiniones mente revolvat. Adde quod qui morsu adversarios suos laedere cupiunt, summam fere semper vim atque atrocitatem exserunt, quemadmodum in supra narratis observationibus videre est, ubi morsus modo graviter IV et immaniter XIII, modo dentibus haud leviter infixis VI summo cum fervore et venenoso quasi ore X, imo rabie plus quam canina XVI illatus adparet, modo etiam attritione et abscissione digitorum IX et ossis ipsius aliqua comminutione XVII locum habuit.

Statuta peculiari vulneris specie, considerationem nostram meretur partis vulneratae textura et in humano corpore dignitas, quae summopere in omnimodis laesionibus attendendae. Porro iratus homo digitos manuum, manus ipsas et cubitum ut plurimum dentibus adpetit; quae quidem partes tot instruuntur nervis, tendinibus, ligamentis, cartilaginibus, ossiculis, articulis ac spissioribus cutis propaginibus, ut ex earum laesione inflammatio vehemens, et in suppurationem gangraenamque prona exoriri necessario debeat. Cujus rei exemplum quotidie fere videmus in panorichia quae a laevissimis causis originem ducens eosdem saepissime effectus, si mortem excipias, gignere valet, aeque ac hominis irati morsus. Quod si laevissima cutis abrasio cum laesione nerveae alicujus fibrillae in quoli-

bet digito inflammationem gravissimam doloribus et febri consociatam inducit, quid non pertimescendum a morsus violentia in partibus, quae copioso nervorum apparatu ditatae sunt, utpote ad tactus sensum exercendum accommodatae? Atque ipsis causis quoque ea quae superius descripsimus mala partim adscribenda esse arbitror, cum ex decem et octo hominibus morsu laesis, vix quinque extiterint, qui in supra numeratis partibus minime laederentur; horumque duo pedem XV ac genu XVI illis certe simillimae texturae partes vulneratas retulerint.

Multum etiam ad morsus sequelas graviores reddendas statum corporis animique laesi individui aliquando conferre ratio ac experientia suadent. Quis exempli gratia non videt, diuturnitatem vulneris in meretrice observati XIII a vitiis morbisque quibus pravum vitae genus consociatur, facillime esse repetendam? In decima octava historia vero inter ea quae morti occasionem dederint, renuntiari a medico legimus iram vehementem praegressam, motus extraordinarios obesi alias corporis, et circumstantiam temporis quo menses fluxere. Atque haec omnia quidem ac similia perpendenda sunt, quotiescumque de relatione inter morsum morbumque consecutum intercedente recte dijudicare velimus. Ast momentum aliud ad vulnerationis actum pariter re-

ferendum et summopere considerandum est, status videlicet animi corporisque offensoris, isque non tam ob vim et atrocitatem sub morsu ordinariam, quam ob salivam sub irae effervescentia separatam, et plus minusve partes dentibus vulneratas penetrantem foedantemque. Ea est salivae in statu normali secretae natura atque efficacia, ut potentia admodum innocens, imo salutaris nonnunquam ac medicatrix haberi possit. Hoc sane confirmant exempla animantium quorum vulnera sanari citius faciliusque quotidie videmus, dummodo ea linctu fovere ipsamet animantia queant et salivali humore conspergere. Aliter vero res se habet si saliva aliquam ex innumeris illis mutationibus praeseferat sub quibus modo copia peccat vel defectu, modo tenax et viscosa, vel acida, vel salsa et acris, vel austera et acerba, vel amara, vel dulcis occurrit, modo lactea adparet, vel sanguinea, modo peculiari quadam maligna atque venefica pollet vi. „ Praeprimis ira, Haegerus apud Zwingerum ait (1), spiritus animales impetuose admodum exagitando et bene simul mixturam liquoris salivalis valde turbando malignitatem conciliare

(1) Fasc. Dissertat. medicarum selectiorum Theod. Zwingeri cura etc. Basileae 1710. De saliva sana et aegra pag. 447.

tantam potest, ut sicubi talis saliva a furibundo homine in vulnus alius hominis morsu inflictum fuerit demissa, lethalia prorsus symptomata in illo producere apta sit ». Ne quis autem miretur quod ex ira tam prava fieri possit salivae natura, cum clarissimus Hoffmannus scripserit (1): » Rem ita se habere ambabus quod dicitur manibus largietur quisquis sibi posuerit ob oculos hominem ira quasi furibundum. Quam totus a se ipso mutatus! in quam celerem et peregrinum motum spiritus ejusdem omnesque corporis liquores rapiantur! In quam rapidum fluxum ejusdem saliva praecipitetur! quantoque impetu e ductibus consuetis extrudatur! ut sibi ne conformis quidem maneat amplius, sed aemula spumae fiat, ut hinc loquendi modus sit enatus pluribus nationibus usitatus: *Ipse vehementissime ira spumat; Il écume de rage; Er schaumt vor Zorn und Bossheit* ». Neque desunt observationes quae tantam salivae hominis irati malignitatem testantur. Hoffmannus ipse eodem loco narrat se Molussae hominem vidisse cui ab adversario suo injuriis contumeliisque lacessito ideoque ad furorem irato vulnus inflictum fuit admodum periculosum et fere lethale quia menti

(1) Disser. de saliva et ejus morbis cap. V, ubi salivae noxas admiratur.

cutem momorderat. In dissertatione de morsu viperarum ab Ettmullero exarata de muliere quadam maniaca legimus, quae lictorem a quo in custodiam adducta fuerat mordendo prope axillas, in similem conjecit calamitatem, ut postridie maxime fureret, muliere interea melius se se habente: idque simul se observasse tradidit Dolaeus (1). Hic etiam adduci meretur id quod Joh. Baptista Scaramuccia in epistola sua de hydrophobia ex vehementi indignatione oborta ad Antonium Magliabechum retulit (2). Juvenis quippe 27 annorum temperamenti calidi et sicci ex causis quibusdam domesticis tantopere excanduit, ut fortasse ex vindictae defectu morsu cruento indicem digitum sibi ipsi vulneraret. Hinc tota nocte inquietus atque ira flagrans vomitum pluries passus est bilis poraceae, quem excepit horror atque calor febrilis, brevi tamen iterum post cessantes. Die sequenti evoluta in aegro sunt certissima hydrophobiae signa, aversio nimirum aquae et liquidorum omnium, rerum itidem candidarum atque splendentium is horror, ut ad visum eorum strangulationis im-



(1) Zwingeri Dissertatio l. c.

(2) Epistola anno 1702 Maceratae impressa: ex lingua italica in latinam versa legitur in Ephem. naturae curiosorum Decad. III. ann. 9. et 10. app. p. 249.

mineret periculum. Brevi post in maniam incidit ac rabiem, ita ut vix a pluribus satis robustis hominibus compesci ac detineri posset ad venae sectionem maxime necessariam administrandam, qua, ut decet, instituta, tranquillior aliquantisper redditus vomitu iterum bilis aeruginosae simul ac sincerae laboravit usque ad mortem. Veram hydrophobiam morbum illum adpellare non dubitavit auctor, et cum morsum alicujus animalis rabidi non praecessisse certissime constet, eam a sola animi excandescentia ac proprio morsu ortam fuisse existimat; idque observationibus pluribus rem illustrantibus, notatu dignissimis, et partim ex propria, partim ex aliorum experientia deprromptis confirmat. Idcirco Paulus Aegineta jure optimo scripsit(1): »Non extra institutum esse cum virulentis bestiis etiam hominis morsum conscribere»; et Galenus(2): »Cum frequenter homo non mordeat hominem, nisi percitus ira, fit merito ut hujus morsus sit virulentus ». Una est enim horum virorum nec non Avicennae, Celsi Pliniique sententia, morsum hominis aliis ulceribus ceterum fere similem perniciosiorem evadere ubi qui momorderit, vitiosis humoribus abundet, aut diutius a cibo abstineat,



(1) Enchirid. medic. lib. 5. cap. 26. pag. 406.
(2) Lib. I. Sec. gener. cap. 13.

aut ira sit correptus. Atque hisce in circumstantiis salivam admodum mutari, et pravam ac fere venenatam acquirere indolem Zwingero, Hoffmanno, Scaramuccia, Scurigio aliisque testantibus, nemo dubitabit.

Denique ad augendam malorum de quibus agimus gravitatem, primis a morsu momentis cujuscumque et praecipue opportunioris curae defectus maximopere contribuit. Accidit quippe saepissime, ut laesi homines sive ex ignorantia et negligentia, sive ob externam vulneris levitatem aut graviorum symptomatum deficientiam, omne artis salutaris respuant auxilium, talique pacto morbum plus minusve clandestine ulterius progredi ac serpere sinant. Quas sub numeris I, IV, VI, retulimus historiae totidem sistunt exempla quae sententiam hanc confirmant, praeter alia quae penitus quivis Chirurgus ex sua praxi posset adjicere. Notandum quoque est omnem vulneratorum solertiam in eo plerumque consistere, ut sanguinis jactura ex vulnere coerceatur, quin de injecto veneno aut de partium inflammatione curam habeant.

Quae hactenus de vulnerum ex morsu hominis irati gravitate malignitateque exposuimus, facilem nobis sternunt viam tum ad curationis instituendae methodum, tum ad aptissimam eorum renunciationem indigitandam. Quoad cura-

tionem ex supra dictis colligitur, eam citissime esse inchoandam atque ita producendam, ut si quid malignae ac venenatae salivae vulnus penetraverit, minime absorbeatur statimque expellatur a corpore, ac inflammationis necessario prodeuntis vehementia et in suppurationem gangraenamque proclivitas compescatur, habita eodem tempore ratione ad animi corporisque statum hominis, qui fuit vulnere percitus.

Nihil est profecto quod imminentia mala tutius possit avertere quam in ferendis remediis sollicitudo. Domestica ac vulgaria auxilia illico adhibita meliorem opem praestant, quam efficaciora a pharmacopolis serius comparata. Siquidem cum omnis cura initio statim in eo prae ceteris sita esse debeat, ut quidquid maligni et ut ita dicam venefici salivalis humoris in vulnus fuerit introductum amoveatur, antequam tristissimam suam actionem exerat, lotiones partis vulneratae saepius repetitae, balnea diuturna in aqua tepidula simplici, in aqua cum aceto, in tenui lixiva, in ipsa urina, ne mora ulla sit interposita, optime conducunt. Juvat etiam eodem tempore sanguinem ex laesa parte diligenter exprimere, cursu interea fluidorum ad centrum apta partium compressione impedito. Communioribus hisce adhibitis auxiliis Chirurgus cito vocandus ubi praesertim vulnerum per dentes

inflictorum hiatus tenues admodum sint; videat ipse quid a lotionibus et balneis sperari tuto possit, et leves etiam addat incisiones ad sanguinis humorumque fluxum promovendum. Sunt qui humorum sanguinisque ex vulnere sorbitionem per Chirurgi ipsius labia peragendam suadent non aliter ac in venenatis laesionibus. Experimento tamen aliquoties periculoso subroganda potius venit cucurbitula a Berry (1) summopere commendata. Observavit quippe parisiensis Medicus et experimentis quam plurimis confirmavit cucurbitulas venenatis vulneribus admotas veneficii symptomatum evolutionem praevertere; quod quidem duplici ratione praestant, tum quia absorptionem impediunt, tum quia favente aeris externi pressione in sanguinis cursum talem exercent vim, quae illum motu quasi retrogrado cucurbitulam versus tendere cogit. In gravioribus itaque circumstantiis incisiones et cucurbitularum adplicationem simul jungere oportebit; atque hujusmodi praesidiis una cum lotionibus balneisque pro necessitate pluries iterandis ac vicissim instituendis ea curationis localis pars erit absoluta, quae in noxiam potentiam corpus forsan ingressam aut in vulnere adhuc latitantem semper est dirigenda.



(1) Omodei, Annali univers. di med. Vol. XI. ann. 1827.

Localem pariter citamque curationem sibi exposcere videntur nonnulla symptomata, quae saepissime, et praesertim si manus digiti aliaeve partes multis instructae nervis laedantur, post morsum illico in scenam prodeunt. Adeo vehemens quandoque dolor est, ut non modo vulneratum digitum occupet, verum ad brachium totum citissime extendatur, III, V, XVII. Qui quidem dolor cum illi admodum similis sit, qui in venenatis vulneribus observatur, de veneno aliquo a morsu humano introducto suspicionem auget, et remediorum hisce in casibus commendatorum nunciat necessitatem. Inter haec principem locum experientia duce tenent sedativa, praesertim ex opio parata. Ita vidimus III Fabritium Hildanum semetipsum curantem theriacam dissolutam in aqua vitae cum gossipio morsibus imposuisse; et eamdem opiatam praeparationem aliis etiam in hominibus adhibuisse bono cum exitu. Tali etiam pacto fit, sive ex narcotica sedantique hujusmodi remediorum vi, sive, ut recentiores malunt, ex eorum actione hypersthenizanti et veneni absorptionem impediente (1), ut dolore imminuto vel etiam prorsus sublato inflammatio partium laesarum neque adeo



(1) Giacomini, Trattato filosofico-sperimentale sui soccorsi terapeutici Vol. I.

vehemens exsurgat, neque tantam ostendat proclivitatem in suppurationem molliorum textuum, in gangraenam ossiumque cariem.

Istiusmodi autem morsus hominis irati sequelae non eae quidem sunt, quae adhibitis enumeratis auxiliis facillime cedant, iisque arceri possint. Ea, ut diximus, est vulneris species et partium plerumque laesarum textura, ut inflammatio necessario debeat oriri, quae praeterea eo vehementior est, tristioresque exitus parat, quo magis commotus hominis laesi sit animus, corpus etiam magis aegrotet, et tarda vel inepta instituta curatio. Evenit hinc fere semper, ut ad antiphlogistica, ad purgantia, ad venae sectionem saepius universalem tum aliquando etiam localem, ad balnea et cataplasmata emollientia confugere oporteat, et modo in hoc, modo in illo praesidio perseverare, nec non tum et quando narcoticis remediis sedantibusque uti pro varia sensibilitatis, temperamenti, corporeae constitutionis aegri et symptomatum localium ratione. Quod si morbus minime resolvitur, sed in suppurationem pergit atque gangraenam, opportune Chirurgus occurrat, et vel incisionibus collecti puris exitui faveat, vel rapidis gangraenae progressibus artum vitamque ipsam minitantis operosa manu limites ponat, vel etiam ferro ac igne gangraenatas partes et ossa carie confecta

sejungat e corpore. Tot siquidem ac tam activa praesidia aliquando requiruntur, ut miserrimi irati hominis in hominem effectus avertantur!

Verum praeter opportunae medendi methodi selectum atque institutionem, aliud medico incumbit munus, de quo nonnulla praecepta colligere extremo loco nobis proposuimus. Ardua quippe est aliquando recta vulnerum de quibus agimus renunciatio, et nisi firmis innitatur principiis, plurimorum errorum evadit fons.

Ex iis quae hactenus collegimus, innotescit, quae et quot momenta ad hominum iratorum morsus graviores periculosioresque reddendos symbolam conferant suam. Porro eadem momenta in vulneribus renunciandis perpendenda sunt, ita tamen ut in unoquoque laeso homine quid vulneris speciei, partium laesarum dignitati atque texturae, et salivali humori vulnus inquinanti, quid animi corporisque aegrorum statui, quidque ineptae vel deficienti debeatur curationi, pro ut fieri potest, sejunctim elucescat, et judicibus prae oculis ponatur. Quam triplex haec distinctio necessaria, et juris criminalis principiis accommodata, ex iis quae sequuntur luce clarius patebit.

Sub morsu hominis irati diximus partes non modo vulnerari, contundi atque dilaniari, verum etiam maligno ac venefico humore ut plurimum

infici. Hinc fit, ut eadem ipsa symptomata saepissime habeantur, quae tamquam venenatorum vulnerum propria ab auctoribus recensentur, quemadmodum juxta Tortosa (1) sunt: » Un dolore atrocissimo, una pronta e terribile infiammazione, una insolita tumidezza, uno strano lividore, una precipitosa inclinazione allo sfacello nelle parti ferite, un rigor freddo di tutto il corpo, e frequenti tramortimenti, la palpitazione di cuore, la vertigine, i delirj, e simili ». Jure igitur vulnera, de quibus est sermo, ad venenata possunt referri. Quae cum ita sint, oritur in primis quaestio, juxta quaenam principia sint vulnera hujusmodi dijudicanda? Raro prorsus in praxi medico-forensi occurrunt apud nos venenatorum laesionum exempla. Licet enim celeberrimus Ploucquet (2) scripserit, notam esse venatoribus Sveviae artem glandes plumbeas nescio quo veneno imbuendi, quibus tactae ferae concidunt atque enecantur; mos tamen arma dirissimis venenis inquinandi et quotidianum in usum trahendi mansit apud Indos et Americae incolas, neque ad Europam transiit. Nihil inde mirum, si variae inter medicinae legalis scriptores de hoc argumento sententiae prostent. Et



(1) Medicina forense ed. second. vol. II. pag. 231.
(2) Commend. super homicid. p. 182.

revera Hebenstreit (1) et Sikora (2) venenata vulnera tamquam *absolute lethalia* judicant, talique pacto nullam nec veneni nec ejus quantitatis rationem habent. Metzgerus e contra ea *valde periculosa, imo in se et per se lethalia* declarat (3). Ad ignotam vel cognitam veneni naturam tantummodo respicit Tortosa, ubi ait: »Sono assolutamente mortali le ferite fatte con arma tinta di occulto e di micidiale veleno; sono non assolutamente mortali le ferite notoriamente avvelenate con tossico domabile dagli antidoti conosciuti; sono infine accidentalmente mortali quelle che note essendo nel genere e nella specie terminano colla morte per la imperizia di quelli che l'hanno in cura (4)«. Juxta Marinm (5) in eorum lethalitate dijudicanda natura introducti veneni praeprimis et praecipue attendenda venit; eamdemque amplecti opinionem videtur Taurinensis Martini cum dixerit: »Aggrava le ferite la sicura introduzione di materie virulente; in tal caso la morte suol essere l'effetto della materia virulenta non della feri-



(1) Anthrop. forens. sect. II. Memb. II. cap. 56.
(2) Conspect. medic. leg. pag. 102.
(3) System. der gericht. Arzneiwiss. § 88.
(4) Loco citato.
(5) Hanbuch der gericht Arzneiviss. § 531.

ta ». Porro haec aliaque hujusmodi principia nimis generalia sunt, cum ratio et experientia demonstrent, vulnera venenata omnia neque ad *absolute* et *necessario lethalia*, neque ad *per accidens lethalia* esse referenda. In iis quippe dijudicandis tum vulnus per se sive ejus species ac sedes, tum actio veneni et in partem laesam et corpus universum sunt perpendendae, unde sequitur, ut quisque lethalitatis et gravitatis gradus pro variis circumstantiis in praxi medico-forensi illis tribuendus veniat, quemadmodum prae ceteris recentioribus Medicinae legalis scriptoribus ostenderunt Foderé (1), Rencer (2) et Henke (3). Hisce itaque positis necessitas eruitur, tria illa primo loco enumerata momenta, vulneris nempe speciem, partium laesarum dignitatem atque texturam, earumque a saliva venefica infectionem simul considerandi. Quod ubi fiet, vix ullum occurret vulnus ab homine irato morsu inflictum, quod leve sit renunciandum. Modo etiam contusio et dilaniatio partium, modo summa eorum sensibilitas, modo a venenato salivali humore inquinatio in causa erunt, cur vel illico, vel brevi



(1) Traité de Médecine legale etc. édit. II. vol. III. § 794. pag. 399.

(2) In opere Metzgeri supra citato § 88.

(3) Lehrbuch der gericht. Medicin. fünfte Ausg. § 347. p. 242.

tempore talia necessario insurgant symptomata, quae nullum de morbi gravitate dubium relinquant. Id igitur prae oculis habens Chirurgus, caveat, ne in prima sua renunciatione ad ulteriores morbi progressus possibilesque exitus recte dijudicandos viam sibi claudat, et ubi timor quidem, sed nulla adhuc adsunt gravioris mali signa, circumspectum judicium proferat, secunda relatione prioris defectum impleturus. Neque aliter agat, si morbo jam ab initio gravi, vitae quoque periculum ingruere minitetur. Quod cum raro à primis usque diebus, saepius vero soleat occurrere, summopere oportet ut animadvertat quid aegri constitutioni corporeae, quid tardae aut ineptae curationi sit adscribendum. Etenim licet vitae periculum a tribus illis superius notatis momentis plerumque pendeat; aliquando tamen a laesi individui et opportuniorum auxiliorum defectu oriri potest. Quis autem tunc morsum eorum malorum esse causam pronunciaverit? Quis mordentem hominem poenis mali gravitati ac periculo respondentibus mulctandum esse adfirmaverit? Necesse ergo est triplicem momentorum seriem, quam paulo ante numeravi, distinguere et accurate considerare, ut recta habeatur juris criminalis administratio.

Atque ejusmodi distinctio necessaria magis evadit, ubi laesionem sequatur mors. Jam vero

crimen, quod homicidii nomine notatur, nunquam a morsu locum habere posse lege sancitum videtur. Siquidem cum juxta § 117 Codicis poenalis ad homicidium constituendum deliberata occidendi voluntas una cum laesione, quae necessario mortem inducat, requiratur, facile videre est, hominem qui sub ira et rixa adversarium suum dentibus adpetit, ad eum occidendum firma voluntate minime trahi. Hinc numquam apud nos mordens ea severitate punietur, quam bajulus ille, de quo in historia XVI, perpessus est, quique apprehensus post adversarii sui mortem patibulo affixus poenam persolvit (1). Verum neque de simplici interfectione juxta § 123 ejusdem Codicis quaestio esse potest. In historia enim decima octava vidimus quot momenta ad mortem miserrime feminae contribuerint, quae Lucernae quinquaginta horas post acceptum morsum periit. Irati ejus animi status, summa obesitas, menstrua fluentia totidem peculiaria momenta fuerunt, quae una cum morsu considerare oportuit, quibusque praecipuam mortis causam referre Medico placuit. Alias Chirurgus vel periculum ex salivae absorptione minime advertens, vel diutius quam par est in inflammationis progressibus compescendis, et limitibus gangraenae



(1) Zacutus Lusitanus loco citato.

finiendis cunctans causa necis fiet. Neque observationes desunt de aegris qui omnem vel aptam curationem respuentes, sive diaeteticum regimen male ferentes, sive alio quocumque modo tristes et lethales quoque sibi exitus curarunt. Apte igitur semper distinguendum et notandum quid vulneris species et peculiaris natura, quid laesa corporis pars, quid status aegri individualis, quidque externae prorsus circumstantiae ad mortem contulerint. Tali solummodo pacto morsus hominis irati tamquam vulnus ut plurimum grave, haud raro periculosum, aliquando etiam lethale idque modo necessario, modo per accidens summa cum utilitate in jure criminali administrando dignoscetur, judicesque Medicum muneribus suis recte perfunctum fuisse animo vel invito fateri debebunt.

THESES

I.

Popularis medicina non minus rejicienda est quam prohibenda.

II.

Una tantum amauroseos species sanatur, illa nempe quae ex congestione derivatur.

III.

Non datur febris lactea.

IV.

Corpora solida et fluida vivunt, ergo et solida et fluida morbo corripi possunt.

V.

Blenorrhoea producit aliquando syphilidem universalem, uti faciunt ulcera.

VI.

Si canis saliva propriam mutat indolem, idem de ceteris animalibus et de homine dicendum, unde spontanea hydrophobia.

VII.

Non ex eo quod aliquod animantium genus nullam habet venam portarum, conjiciendum est eam nullo in aliis animantibus officio fungi.

VIII.

Aetas quae magis indiget consiliis Medicorum est infantia.

IX.

Medicum multa scire, plurima audire, pauca loqui oportet.

X.

Felix alicujus operationis exitus nullam Chirurgo comparat gloriam; nam aegri constitutio magnam sibi exitus partem vindicat.

XI.

Debilitas est desideranda in omni operatione chirurgica et praesertim in amputatione.

XII.

Chirurgus non cito, sed tuto properare debet.